

L. N. D.  
DISSERTATIO

DE  
**FULCRIS  
HIERARCHIÆ  
PONTIFICIÆ,**

---

QUAM

*Consens. Ampliss. Facult. Philos. Aboëns.*

PRÆSIDE

**MAG. JOHANNE  
BILMARK,**

HISTOR. AC PHIL. PRACT. PROFESSORE ORDIN.

*Publice examinandam sistit*

**EPHRAIM WIDENIUS,**

*Ad junct. Past. in Halico,*

In AUDITORIO MAJORI Die XI Aprilis  
Anni MDCCCLXXII.

*Horis Antemeridianis.*

---

*A B O Æ*

Impressit JOHANNES CHRISTOPHORUS FRENCKELL.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,

DN. ERICO WIDENIO,


Ecclesiarum, quae in Halico & Angelniemi DEO colliguntur, PASTORI DIGNISSIMO,

PARENTI INDULGENTISSIMO.

Tandem diu desideratus illucescit dies, quo primos  
indefessæ TUÆ in me bonitatis fructus, quamvis ex-  
iguos, TIBI summa cum pietate offere queam. TIBI, O-  
PTIME PARENS, multa debo, immo post DEUM Optimum  
omnia. Tu ab infantia sollicitam semper mei gessisti cu-  
ram. A pueritia rectam salutis viam sedulo mibi monstra-  
re, in deliciis TIBI fuit maxime. Tuis impensis Specimen  
hoc Academicum in lucem prodit publicam. Accipias i-  
gitur, OPTIME PATER, hoc de Fulcris Hierarchiæ Pontificiæ  
opusculum, quod Venerando & Peramabili Tuo NOMINI  
unice dicare volui, debui, ut intimæ & quæ filium decet  
piæ venerationis qualecunque extet pignus atque indicium.  
Meum erit Clementissimum NUMEN seruis semper compellare  
suspiriis, dignetur Te, PATER INDULGENTISSIME una cum MATRE  
mea CARISSIMA, constantissimo felicitatis flore ad seram us-  
que senectutem ita cumulare, ut Ecclesiæ commodo & nostro  
gaudio diu vivas ac feliciter! Hujus voti compos factus læ-  
tabor maxime, quad vixero permanfurus.

PARENTIS INDULGENTISSIMI

filius obedientissimus  
EPHRAIM WIDENIUS.



## PRÆFATIO.

**M**isit DEUS, quæ summa Ejus est bonitas, Filium suum in hunc mundum, ut restauraret felicitatem, qua culpa primorum parentum omnes horum posteri exciderant, atque ut vitiorum mancipia regni virtutum cives constitueret. His DEI decretis suos calculos humana interserens sagacitas, conveniens judicasset, ut socios & ministros tanti operis sese adjunxisset vel Principes vel Proceres vel saltem Eruditissimos per orbem Viros. Sed alia sunt DEI, alia hominum iudicia. Sicuti Christus huc non venerat, ut mundanum aliquod constitueret regnum; ita quicquid magnificum censem mortales, fini Salvatoris parum inserviit. Elegit igitur sibi Ministros simplices pescatores, quibus præcepit, ut Evangelium omnibus annuntiarent gentibus, non ut his dominarentur. Dedit enim discipulis suis non *ensem*, sed *clavem*; non *flammam*, sed *scripturam*; non *tomenta*, sed *placida argumenta*; non *fasces & secures*, sed *tunicam & baculum*, *ministrorum*, non *Dominorum insigne*.

gne. Dixit præterea suis legatis: *Ite, non ferite; docete, non nocete*, multo minus *occidite*. Incremento deinceps inter continuas easdemque gravissimas vexationes atque agitationes Ecclesia DEI, ut in cœtibus fidelium omnia decenter peragerentur, constituti fuerunt quidam Inspectores seu Curatores, quibus negotia dirigendi, non tenero gregi imperandi potestas competit, sine ullo præeminentia jure; quare etiam mitissimus Salvator discipulos suos, de hoc inter se altercantes, sic reprehendit: *Reges gentium dominantur, vos autem non sic.* Ad cuius præcepti tenorem *Ecclesia* quædam & æqualitas inter Ecclesiæ membra per bina circiter sœcula viguit, Præfulesque primitivæ Ecclesiæ munera sui auctoritatem in ministerio, dignitatem in humilitate atque honorem in vita sanctitate reposuerunt. Enimvero sicut instituta quævis humana suis subjecta sunt vicissitudinibus; ita successu temporis factum est, ut plures, qui ingenio & prudentia sese valere crediderunt, jus illud directionis sibi arrogare niterentur, & illud confecuturi machinationibus quibusvis uti non dubitarent; unde dissidia & contentiones inter paris potestatis confortes exstiterunt. Ut hæc mala reprimerent, consultum videbatur, jus directionis illi deferre, qui meritis, qua tamen voce **vix** alia magis ambigua datur, in Ecclesia inclareceret. Sic ex integrō cœtu unus fuit electus, qui rebus ad Ecclesiā pertinentibus præcesset. Nec sic deterior, saltem ab initio, facta est Ecclesiæ conditio, quam Præfules illi fati modeste sese gererent; contenti honore, quem cætorum benevolentia ipsis detulerat, iniquum censentes, aliorum premere cervices. Paullo autem post mutata fuit rerum facies; quum Ephori majorem potestatem sensim sensimque sibi arrogaverint, contra mandatum Salvatoris regnum mundanum, spredo Spirituali, sibi constituentes. Scilicet Episcopi, qui majorum urbium Ecclesiis

clesiis praeerant, praecedentiam quandam praे reliquis si-  
bi vindicarunt; unde Metropolitanorum deinceps & de-  
nominatio & auctoritas invaluit. Quocirca quum Ro-  
ma inter cæteras urbes caput ita extolleret, ut orbis do-  
mina haberi voluerit; Pontifices quoque Romani dicta-  
turam quandam in omnes Ecclesiæ exerceere magnopere  
sunt conati, quæ Hierarchia Pontificia vocari sivevit.

## §. I.

Sicut non infrequens fuit tam in populo Israëlitico,  
quam in aliis civitatibus, ut qui imperium olim admi-  
nistrabat, idem simul Supremam Sacrorum curam gere-  
ret; ita quoque sunt nonnulli, qui incunabula Hierar-  
chiae Pontificiae seu dominatus Papalis (\*) referunt ad  
NUMAM, secundum Romanorum Regem; addentes  
imperium atque Sacerdotium fuisse conjuncta usque  
dum TARQUINIUS de solio fuit dejectus; qua quidem  
occasione mutata imperii forma potestas Ecclesiastica ab  
imperio fuit distincta & non parum imminuta, attamen  
Pontificum auctoritas magni semper a Romanis habita.  
Enimvero tanta est temporis intercapedo, inter primos  
illos Pontifices Romanos, qui sub gentilismo vixerunt,  
& Hierarchas Christianos, ut horum potestas a pristina  
illorum auctoritate derivari nequeat. Præterea illi mul-  
to modestiores fuerunt, quam hi; non enim Senatui se-  
se ingerebant, sed quum in rebus majoris momenti con-  
sulebantur, tunc suas sententias graviter proposuerunt,  
quas ceu totidem ex tripode dicta oracula consulentes  
suspexerunt. Sed Joves illi Capitolini omnia suæ pote-  
stati atque arbitrio subiecere decreverunt. Enimvero non  
semel, nec uno gradu ad hoc potentia culmen adscen-  
derunt. Inter præcipua eorum principia semper habi-  
tum fuit, temporibus callidissime inservire. Postquam  
igitur horrendæ persecutionum procellæ, quæ naufragi-  
um Christianis saepius portendebant, desistent, & Eccle-  
sia,

sia, instar navis fluctibus jactatae placida magis tempora sub Christianis Imperatoribus obtinuerat, variis simul in Religione figmentis se se extollere coepit Romana superbia. Cristas erigebat urbis gloria, & occasionem suministrabat usuratio juris sacerorum. Accedebant in imperio Romano partim intestina dissidia partim irruptiones barbararum gentium, quo in turbido prolixe piscati sunt hi Petri pescatores. Verum grandia Pontificum Romanorum molimina lente adhuc procedebant. Haeret enim in omnium animis pristina terum facies; cui accedebat auctoritas Scripturæ Sacrae quoad maximam partem adhuc integra, & qua omnibus sine exceptione Christi ministris, ipsis quoque Apostolis, docere, pascerre & potestati civili subjectos esse injungebatur; dominari autem & Magistratui civili se se opponere, prorsus interdicebatur. Quibus factum, ut ad finem usque Saeculi VI potestati civili se non subtraxerint Episcopi Romani; id quod imprimis constat exemplo Pontificis GREGORII I, qui titulum *universalis Papæ* vehementer detestabatur, ceu *superbum, novum, nefandum, scelestum atque blasphemum.*

---

(\*) *Papa* nihil aliud est, quam blanda Patris compellatio; quamobrem quum Sacerdotes paternam animalium curam gererent, vocibus allatae confinibus sunt nuncupati. Sic Cambris *Pop*, Belgis *Pape*, Germanis *Pfaffe*, Sclavis *Pop*, Fennis *Pappi* est Sacerdos. Latii incolæ olim victimarium vocabant *Popam*, sed in Synodo quadam Romana, sub auspiciis Pontificis GREGORII VII habita, decretum fuit, ut quemadmodum unus tantummodo esset in orbe Summus Sacerdos; ita quoque titulus ejus a communi Sacerdotis appellatione *Pfaffe* ita distingveretur, ut Flamines illi quidem *Pfaffen*, sed Archiflamen in superlativo *Pabst* in imperio Romano-Germanico vocaretur.

## §. II.

Ad Hierarchiam vero Pontificiam cum augendam tum confirmandam præcipue contulerunt partim experimenta quædam potestatis, quæ Pontificibus ultra spem & opinionem feliciter cesserunt, partim etiam Concilia nonnulla. Sie inter alia notum est, quod Papa Romanus VICTOR sæculo III ausus fuerit, anathematis fulmine ferire omnes Christianas in Asia Ecclesias, propterea, quod alio die festum Paschatos celebrarent, quam in Ecclesia Romana esset receptum. Quod imperterritum facinus recentiores quidam Historiæ Ecclesiasticae Scriptores habent pro primo quasi rudimento Antichristi, in cunis vagientis. Præterea vero ad Hierarchiam Pontificiam plurimum contulit Concilium Sardicense Illyricum, quod An. C. 347, adeoque aliquanto post Concilium Nicænum fuit celebratum; in quo inter alia, quæ Patres Nicæni indecisa reliquerant, statutum fuit, ut Episcopus Romanus non solum primum inter cæteros Episcopos obtineret locum, sed etiam ut controversiæ, quæ in particularibus Synodis dirimi non possent, ad Pontificem Romanum deferrentur, qui decretoriam pro re nata ferret sententiam. A quo proinde tempore Suprematum sedis atque donum infallibilitatis ferociores Pontifices sibi arrogasse constat. Nec minus robur accepit dominatus Papalis, dum Episcopis Romanis concessa fuit potestas beneficia Ecclesiastica libere disponendi, etiam cum exclusione Regum atque Imperatorum; quibus jactis fundamentis, Pontifices nihil non suæ arrogantiae atque arbitrio permiserunt. Confirmato enim a PHOCA & titulo Oecumenici & jure in Ecclesiasticis summo, Pontifex Romanus ipsos adoriri Reges atque Imperatores non dubitavit, omnia Sceptræ suo pedo, si moliminiibus modo faveret fortuna, subiecturus; cuius operis valida satis habuit arma, videlicet excommunicationis fulmina & Eccle-

Ecclesiæ libertatem. Per illam, ad sacerdotalia extensam, Imperatorum frangere potuit animos, & omnem eorum potentiam, debitæ subditorum obedientiæ innixam, dissolvere; per hanc vero, si ad institutum accommodaretur, electio libera, jus investituræ & maiestas, quæ ab Imperatore non penderet, haberi poterant. Quid? Quod sequenti tempore eo arrogantiae processerint Joves Capitolini, ut Pontifex SIXTUS V in bulla contra Galliæ Regem, HENRICUM III scribere non dubitaverit: *Ego supremam in omnes Reges & Principes universæ terræ, in cunctos populos & nationes, non humana, sed Divina institutione mibi traditam potestatem obtineo.*

### §. III.

De Templo Philistæorum, quod moribundus subvertit Samsonus, constat, duobus idem innixum fuisse columnis. Ita quoque Hierarchia Pontificia duobus præcipue fulcris superstructa est, *ignorantia & superstitione*; de quibus nonnulla seorsim proferemus. Eam quidem præ se speciem ferunt Pontificii, quod sua Sacra suaque instituta immoto fundamento doctrinæ Prophetarum & Apostolorum sint innixa; sed insimul sollicite carent, ne meliora discant homines. Quare etiam ne sancta Biblia, unica credendorum & agendorum norma, ad singulorum perveniant cognitionem, eorum lectionem sub poena excommunicationis, retentionis peccatorum atque vivi comburi primum prohibuerunt, nisi id quandoque fieret *venia & consensu Episcopi*. Sed & hæc facultas a Pontifice CLEMENTE VIII penitus fuit sublata, & poenæ in omnes & singulos statutæ, qui alias ad lectiōnem Scripturæ Sacræ admitterent. Interdicti hujus talem interseruerunt caussam, quot periculum esset, ne hæreses, schismata & nefcio quæ religiosa portenta existerent, si omnibus promiscue augustas has degustare epulas licet. Habuerunt quidem Monachi ad populum conciones,

nes, sed quas hic tanto magis admirabatur, quod ne voculam quidem intelligeret, quum ipse lingua Latina haberentur. Nullæ institui potuerunt Scholæ, nedum meliores artium atque ingeniorum officinæ sine speciali Pontificum indulgentia, qui sedulo curarunt, ut juvenes diluvio verborum & terminorum submergerentur, sed ne luculam quidem veritatis in pulvere Scholastico adspicerent. Immo hi, in Lycæa admissi, Divinam prorsus habuerunt Pontificis Romani opinionem, adeo ut in iura & dogmata Ecclesiæ sic dictæ Catholicæ inquirere piaculum censuerint. Quam densæ ignorantiae tenebrae illi orbis parti, quæ Hierarchiæ suberat Pontificiæ, olim incubuerint, ex sequentium temporum exemplis colligi potest.

## §. IV.

Religionem inter duos quasi scopulos, impietatem atque superstitionem sitam esse, haud inepte statuerunt Philosophi; simulque prævia experientia constat, quod Pontifices Romani, Ecclesiæ navim dirigentes, modo in illam Scyllam, modo in hanc Charybdin deflexerint. Impietatis enim mater in plerisque est ignorantia, sed quæ sensim sensimque minuitur, prout homines provectioni ætate meditari incipiunt; adeoque hoc Hierarchiæ fulcrum per se non satis est validum. Quare necesse erat, ut alio adhuc vinculo intra circum subjectionis continentur mortales, & quoniam superstitione speciem habet eximiæ cuiusdam pietatis; Pontifices Romani hoc capistro multitudinem, cui alias impotentem, sibi reddiderunt devinctissimam. Totum itaque cultum Divinum, in se & ex mandato Divino simplicem, fictis & superstitionis dogmatibus atque cæremoniis opplerunt. Primo igitur Patres Ecclesiæ, homines utique probos nec indoctos in pari venerationis fastigio cum viris Θεοτικέσσι posuerunt, ut sic vim homines convincendi, Scripturæ

Sed insitam, pro re nata vel dubiam redderent vel prorsus eluderent. Deinde ex clave solvente & ligante, PETRO data, occasionem sibi sumserunt, aliis persuadendi, sibi solis, ut Petri Successoribus, Divinitus concessam esse potestatem, homines vel in cælum intromitterendi, vel ad orcum detrudendi; quare superstitionis etiam populus tantum pretium statuit indulgentiis Papalibus, quantum pro Divino haberi potest. Præterea quum homines suæ consulere saluti non solum in hac, sed etiam in futura vita, dum sapiunt, magnopere studeant, Pontificii sub necessariæ purificationis prætextu hominibus male credulis & superstitionis fascine correptis obtruse-runt purgatorium, in quo defunctorum animæ tamdiu detinerentur, quamdiu ad ipsorum sanctificationem necessarium judicarent Papæ. Quam molestum his commentis jugum conscientiis hominum imposuerint, quisque facile animadvertisit; quod excutere pauci voluerunt, ne dira excommunicationis fulmina experirentur, pauiores potuerunt, nescientes, an ita conscientiam suam vel tranquilliorem redderent, vel gravius laderent. Denique quum Religio Pontifica externis potissimum cæremoniis absolvatur & magnifica exhibeat spectacula, hominesque magis capiantur grandibus externis apparentiis, quam interna simplicitate, hinc quoque robur non exiguum consequitur Hierarchia Papalis.

## §. V.

His duobus quasi internis fulcris Hierarchiæ Pontificiæ totidem externa, ne tantum ædificium corrueret, apposita fuerunt, quorum primo loco ponenda est acutissima dominandi ars Pontificum. Sicut enim *Confessionem* inter media salutis maxime necessaria venditarunt; ita quoque aditum sibi in penetralia cordium dextre pararunt, adeo ut non solum opportune detexerint, quicquid meditarentur cum alii tum imprimis Principes, omnia-

mniaque deinceps in Consistorio Capitolino fuerint decreta & jam e longinquo disposita, ut quomodocunque res caderet, certum tamen inde colligere potuerint lucrum atque commodum. Immo Historia docet, quod cum alii Pontificis filii, tum præcipue Cardinales fuerint Primarii Imperatorum & Regum ministri & intimi eorundem Consiliarii; quibus quum via ad Solium Petri esset patefacta, admodum verisimile est, quod incrementa dominatus Papalis non neglexerint. Esto, quod Principes subinde invenerint, qui Legatos Pontificis secretorum suorum arbitros non adsumserint, mille tamen modis jam amplissimis pollicitationibus, jam sexui sequiori abblandiendo pertinax silentium expugnarunt; quamobrem etjam technæ Consistorii Capitolini omnibus machinationibus aulicis longe subtiliores sunt habitæ. Superioribus denique sæculis sub prætextu conservandæ Religionis Catholicae omnibus foederibus, inter Principes Europæ sanciendis, sese graviter ingesserunt Pontificum Legati, qui mox extra oleas sunt exspatiati, & primas sibi partes in omnibus vindicarunt negotiis, multum de suo & sedis Apostolicæ jure cessisse aliis persuadentes, si mediatorum solummodo vice fungerentur. Enimvero ne Oedipus quidem omnia stratagemata Politica, quæ ad Hierarchiam & stabiendum & augendam adhibuerunt Pontifices Romani, indagare, nedum recensere valeret.

## §. VI.

Alterum Hierarchiæ Pontificiæ fulcrum externum, idemque validissimum, constituit numero & opibus amplissima cohors Lojolitica, homines in omni negotiorum genere Protheo etjam versutiores. Sicut in sacrum hunc Ordinem vix alii admittuntur, quam qui rarioris ingenii indicia mature produnt; ita quoque nihil fere tam est abstrusum aut reconditum, quod ipsorum non degat sagacitas. Veræ virtutis alumnos sese præbent; sunt enim

enim humani, sunt officiosi; sua negligere commoda, aliena tantummodo curare videntur, ut sic horum aequaliter benevolentiam, quam successu temporis insuum vertere usum apprime norunt, satis ostendentes, sua beneficia fuisse hamata. In morum doctrina admodum sunt faciles, adeo ut pro variis hominum moribus varia habeant de moribus decreta. Hac modesta ratione se se gerunt, quamdiu spes quardam lucri adfulgeat, at si forte potentia eorum aliquo modo periclitetur, nihil non pro imperio licitum atque honestum existimant, gravissima quavis scelera, quæ pro potestate ipsorum suscipiuntur & patrantur, facile excusantes. Crevit per omnes orbis partes & quidem in immensum fere Jesuitarum dominatus, factusque est ipsis Regibus ac Principibus tam molestus, quam invisus. Singuli, qui in hunc ordinem admittuntur, inter alia Pontifici Romano votum perpetuæ obedientiæ præstant; quod etiam follicite adeo implet, ut sine ministerio hujus societas cum hierarchia Pontificia dudum actum fuisset & conclamatum.

### §. VII.

Expositis pro instituti ratione breviter præcipuis Hierarchiæ Pontificiæ fulcris; superest, ut ad quæstionem, quam occasione hujus argumenti proponere solent Eruiti, succincte respondeamus. Scilicet scire gestiunt: An dominatus Papalis nostro ævo vel vertici suo sit propior, vel etiam ab occasu parum distet? Ut problema hoc enodetur, ante omnia attentendum erit ad firmitatem fulcrorum supra memoratorum. Primo igitur prævia experientia constat, quod in plerisque terris, quæ quoad Ecclesiastica dominio Pontificis Romani etiamnum subsunt, quotannis evulgentur varia scripta tam Theologica quam Moralia & quidem linguis vernaculis, quibus

quibus homines ad pleniorum cognitionem atque meliorem frugem reduci possunt. Sacra etiam Biblia non una Linguarum Europætarum edita habemus, eorundemque lectioni sine ullo condemnationis metu incumbunt tam Laici, quam Clerici. Principes quoque Catholici singuli in suis ditionibus jus sibi merito vindicarunt, Scholas & Academias reformati, ut eadem seminaria eruditionis ac virtutis, non figmentorum Monachalium essent. Immo cordatores Catholicorum, qui amiciores fuerunt felicitati generis humani, quam suæ dominatio- ni, ægre admodum tulerunt ingravescensem illam ignorantiam & supinam Monachorum oscitantiam. Quare etiam Imperatores ac Reges non solum filios suos non amplius Cleris, sed aliis probatae integritatis atque eruditio- nis Viris instituendos tradere solent; sed etiam Cardinalis atque Archi-Episcopus Viennensis, Princeps TRAUT- SON partim suam reformavit Ecclesiam, partim Imperato- ri & Imperatrici id dedit consilii, ut nimios Monasteriorum redditus in usum atque incrementum Scholæ & Academiæ Viennensis impenderent; simili fere ratione, qua Rex no- ster gl. m. GUSTAVUS I. excrementias opum Mona- chalium in longe meliores uisit, quam in horum sagi- nam, adhibuit. Ad exortam hanc scientiarum lucem sen- sim quoque dissipatae sunt superstitionum præstigiæ, adeo ut plurimi Catholicorum infallibilitatem Pontificum non quidem intra Consistorium, nedum extracollegialiter admittant, sed publice impugnare audeant. Immo ex Novellis constat, ab Hispaniæ Rege haud ita pridem decretum fuisse, ut universalis quædam Synodus ad di- scrimendas controversias Ecclesiasticas ibi exortas, inde- penderet ab auctoritate Papæ Romani haberetur, quæ tamén Synodus in aliud tempus fuit dilata. Præterea circa electionem novi Pontificis tantum valet auctoritas Imperatoris Romano-Germanici, Regumque Galliæ &

Hispaniæ, ut Cardinalis, quem illi dedianunt, ista vi-  
 ce in considerationem venire omnino nequeat. Princi-  
 pes quoque nostra ætate jus sibi vindicarunt, beneficia  
 pleraque Ecclesiastica Viris bene meritis sine consensu  
 Pontificis distribuendi. Quid? Quod Cleris, ut civibus  
 & publica securitate frumentibus, urgente publica necessi-  
 tate, certa tributa imponant Reges Catholici, quæ mi-  
 tiori quidem vocabulo dona gratuita nuncupantur; at-  
 tamen si intra præstitutum tempus non solvantur, vel  
 augeri vel militari rigore exigi solent, mutenturque ita  
 in oblationes devotas easdemque necessitatis. Supersti-  
 tiosi ritus multi quidem adhuc apud sie dictos Catholici-  
 cos retinentur; attamen prudentiores exiguum satis his sta-  
 tuunt pretium, valentque tantum in gratiam vulgi. Ar-  
 tes dominandi Pontificum Romanorum tanto subtiliores  
 sunt factæ, quanto magis in angustiis habitare cœperunt;  
 ipsique satis animadvertunt tempus illud dudum præteriisse,  
 quo ex sancta fede Apostolica Imperatoribus ac Regi-  
 bus jura dare potuerunt. Vela igitur in ventos conti-  
 nuo obliquant, sollicite caventes, ne controversiæ de  
 jure limitum exoriantur; quare etjam umbram illam Ma-  
 jestatis, quam possident, Principes illis relinquunt. Or-  
 dinem denique Jesuitarum nostra ætate ad incitas esse  
 redactum, fratresque Lojoliticos ob nefanda scelera, in  
 ipsos quoque Reges commissa, ex plerisque terris Ca-  
 tholicis fuisse ejectos, fugere potest neminem. Notum  
 quoque est, Principes ex familia Bourbonica Pontificem  
 Romanum instanter sollicitasse, ut Ordinem hunc peni-  
 tus aboleret, ne in dedecus Religionis Catholicæ &  
 detrimentum generis humani amplius prævaleret; ferunt  
 quoque Papam momentosæ huic petitioni, cui refragari  
 non audet, annuisse; decretoriam tamen sententiam in  
 Consistorio Capitolino latam in tantum, in quantum un-  
 quam fieri potest, differt. Quum itaque ex his jam di-  
 sputa-

sputatis adfatis constet, quod pleraque fulcrā, quibus Hierarchia Pontificia innititur, successu temporis per quam infirma sint redditā; multi sibi aliisque persuadent, ultimum dominatui Papali imminere exitium, ita quidem ut seriem annorum supputare queant, intra quos potestas illa penitus erit extincta. Sed ita nimium forte de suo præsumunt ingenio. In exsangui enim illo corpore supersunt adhuc nervi quidam, qui illud adhuc sustentare valent, & quorum firmitas sicut ad calculum revocari nequit, ita huic innixas conjecturas eludit. Sic quamvis multi præsertim in Ecclesia Gallicana infallibilitatem Pontificis graviter impugnaverint, docet tamen Historia nostri sæculi, quod quum in ista Ecclesia sci-sima quoddam existisset de auctoritate Bullæ Papalis, quæ *Unigenitus* communiter nuncupatur, universus Clerus cum Archi-Episcopo Parisiensi ad partes Pontificis accesserit, & Bullam hanc ceu infallibilem suspexerit. Quam verum itaque est, Hierarchiam Pontificiam ad occasum vergere, & animam tantum non nunc trahere, tam difficile atque ineptum est opus, Epocham interitus ejus definire.

### §. VIII.

Quæri denique potest & solet: quæ fiat, ut quum Religio sc̄ dicitur Catholica olim gentibus etiam ferocioribus haud ingrata fuerit, ejusdem tamen dignitas recentiori tempore adeo imminuta sit apud politiones & morationes populos, ut quemadmodum stellarum fulgor, sole ad horizontem accedente, sensim decrescat, ipsaque eodem exorto vix apparent, ita quoque Religio Romana culturam Litterarum sustinere non videntur. Heic primo observare juvat, quod Ecclesia Romana, quamdiu in initiis quasi subtilitatem, satis sineera fuerit, ejusque precones magis de convertendis hominibus a regno tenebrarum ad lumen veritatis, quam de eisdem sibi subjiciendis fuerint solliciti. Verum prout hominum benevolenciam modesta hac ratione sibi magis magisque devinxerunt; ita sicut in secundis impotenter sese plerique gerunt mortales, Pontificum filii, successu turgidi, cristas erigere cœperunt, civilibus negotiis sese impudenter ingerentes, & Hierarchiam Pontificiam supra omnes mundi potestates constituentes. Horum dominatus

minatu*m* multum auctoritatis accessisse videtur ex antiquo usu cum Romanorum, tum Germanorum, de quibus satetur TACITUS, quod plus fidei tribuerint Sacerdotio, quam Regum auspicio. De Jesuitis praeferam produxit Scriptores, quod discipulis suis, hoc gravissimum dederint preceptum, ut ubicanque offendenter Magistratum, doctrinæ Pontificie adversum, Regalia S. PETRI facultatem & jus ipsis concederent, tamem quo demumcunque modo remoyendi: fieret Divus, modo non esset vivus. Quum itaque Reges & Principes in aulis suis saepe alerent viros, qui ipsorum saluti ac vita insidiari non dubitarent, tam equum fuit, quam quod æquissimum, ut contra noxie Religionis flamines fese mature caverent. Quis, queso, ignorat quantas turbas circa finem sæculi Reformationis excitaverint Sacerdotes Catholici? Horret autem animus, dum cogitat, quod ex eorum grege fuerint, qui nostra ætate Sacra-tissimis Personis Regum Gallia & Portugallia violentas inferre manus non dubitarunt, propterea, quod Religioni Pontificie minus favere crederent, adeo ut quemadmodum priora sæcula Petri Petrose, Johannis Clementis ac Ravaillaci nomina æternæ oblivionis fastis damnarunt, ita quoque nostrum ævum d' Amiens aliosque ejusdem furfuris ut opprobria generis humani execratur. Quid superiori anno contra legitimum suum Regem ausa fuerit fanatica quadam Polonorum cohors, non absque stupore audivimus. Quid etiam in terris alio quasi sole calentibus, in imperio Chinensi atque Americe egerint Pontificum filii, & quam exitiosa summis Principibus eorum fuerit familiaritas, ex Historia notius est, quam ut illud jam exponere, necesse judicemus. Quum itaque Sacerdotes Catholici, imprimis fratres Lojolitici, tantas, quantas vidimus, turbas in regnis atque imperiis excite soleant, nemo amplius miratur, ipsos eodem turbine correptos extra imperiorum pomaria fuisse ejectos, qui longe extra humanitatis terminos projici meruerunt, atque ipsam Religionem eorum, Machiavellisticis dogmatibus scatentem, Principibus ac civibus factam esse invisam. Immo Principes Protestantes tantum non omnes pruritum dominandi Cleri Papalis probe cognoscentes, ceu Constitutionem quandam Ecclesiasticam posuerunt, Catholicorum Sacerdotum e terris suis exclusionem non minus necessariam esse ad civilem Christianarum gentium felicitatem promovendam, quam ipsa Religio Christiana ad salutem æternam obtinendam valeat. Quod quum ita sit, multi forte mirabuntur, quod Potentissimus Borussorum Monarcha, qui ipse Protestantie Religioni est addictus ac civibus imperat Protestantibus, Pontificie tamen Religioni devotis concesserit facultatem in sua metropoli Templum exstruendi, atque liberum in eodem Religionis exercitum; Enimvero pro ea, qua Maximus hicce Heros eminet prudentia & potentia advenas hos intra arctum satis officiorum gyrum continebit, Ecclesiamque ipsorum semper militantem faciet, nec permittet, ut ipsa in triumphantem fese unquam effera.